

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Reden und Arbeiten der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420, 1-4

Orationes in Marchio-Badensis Societate Latina ab ordinariis h. soc.
solidalibus habitare - Cod. Karlsruhe 3420,2

Hebel, Johann Peter

[Karlsruhe], 1772-1776

[Maler, P. E.]: Universae philosophiae partium cohaerentiam ostendit in
Oratione, 25 Jul 1778

[urn:nbn:de:bsz:31-99834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-99834)

47A.

Universalem
Philosophia partium
Coherentiam
ostendit
in Oratione

P. E. Maler
S. S. Th. Stud.

3. xxv. fol.

1778.

3288 I or

475.

[Faint, illegible handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Partial view of handwritten text on the adjacent page, including words like "Nider", "atque", "nulla", "ratio", "habent", "post", "circum", "est", "nisi", "sunt", "quod", "nam", "et", "non", "sunt", "nam", "nati", "et", "moveretur", "quod", "dixerunt", "admiramur", "sunt", "omni"]

Litterarum Studium, DIRECTOR ex.
 CELLEN SISS ME, Socii ornatissimi, esse
 amoenissimum, nemo unquam equus
 rerum arbiter negavit, quis enim iucundiora
 utilioraque proferre audebit, nisi mente captus.
 Certe nulla est vite humana pars nulla viven-
 di ratio, quae fructibus ex litteris in omnes re-
 dundantibus sine maxime incommodo carere
 possit. Certe sunt illi, quos diligimus, colimus,
 admiramur, quibus nihil prius, nihil antiqui-
 us est, nihil magis in votis, quam ut in stu-
 diorum suorum cursu ad doctrinae & eruditionis
 fastigium eritantur, quo nihil ego in rebus hu-
 manis dignius esse censeo, nihil proclarius. Va-
 na enim omnia sunt, quae miramur in hoc ce-
 rum humanarum fluxu & malorum irita-
 merita sunt, non remedia, nisi mentem huma-
 nam natura caecam, sapientia eruditione regat,
 & moderetur. Cuid enim patria, quid genus,
 quid bonores, quid curum illud, quod tantopere
 admiramur? Sumus sane sunt rerum morta-
 lium omnia & in anticipati hac mutatione

X

Temporum abeunt, vaneſcunt, nec exime-
 re nos queunt aut noſtra mortalitatis lege.
 Sed hæc vere ſunt opes, quæ ſupra omnem
 inconſtantia & mutationis aleam poſita,
 etiam nãdum, naufragum, exulem, ubique
 terrarum comitantur, nec eripi poſſunt
 unquam, aut temporum iniuria muta-
 ri aut tolli; quæ inter ipſas regnorum con-
 cuſſiones ac motus inconcuſſa manet, quas
 qui poſſident vere ſunt divites, quia in
 pectore & animo ſtruentur hæc opes, non
 in arca, uſque augeri ſolent, non mi-
 nuï, meliores fieri non deteriores, non ſe-
 neſcere, non avocare homines a virtute ſed
 inſtruere. Doctrina enim & virtus artiffi-
 mo inter ſe vinculo coniuncta non doctis-
 ſes modo, ſed meliores reddunt. Niſi illis
 alimur, nunquam perfecti exiſtere poſſu-
 mus, litteræ enim nos demum turpi otio
 marceſcentes excitant & corroborant: nimi-
 rum ut ager ex ſe ſterilis cultura tamen eman-
 datus ad bonam frugem poſeſſe demutari

fertilitatem provocatur, sic ingenium doctrinae
 virtutisque exers, disciplina ac litteris ad bo-
 nam frugem potest demutari. Ad haec quantum
 littera gratiam, quantum benevolentiam, quan-
 tum animi affectum conciliant litteratis, non
 apud gregarios & e trivio homines, sed apud magna-
 tes, reges, principes? quis enim tam aversus a
 chusis, qui litterarum decus non admiratur? pra-
 cipue cum primum inter illas locum obtinet
Philosophia, de cuius praesentia, utili-
 tate, partibus inter se concordantibus mihi
 nunc verba facienda sunt. Breviusquam vero in-
 signem hanc rem aggredior, ex Te D. R. EXCEL.
 LEN. T. 353. Me nihil diligentius vehementius-
 que peto, quam ut ingenioli mei tenuitatem pra-
 sertim in re gravissima & praestantissima excuses,
 ea, qua soles, humanitate, favore, & gratia me seculi
 leves, & Vos Auditores iterum atque iterum
 rogo, ut aequitate vestra supplere, haud dedigna-
 mini, quod aetati ingenioque meo deesse non in-
 vitus agnosco.

Sterra.

Philosophiam cuique mortalium maxime P. L.
 esse necessariam, quilibet facile mecum consen-

tet. Quis enim est, qui sine boni honestique
 intelligentia, sine animi rectitudine aut constan-
 tia vir probus, civibusque utilis possit existima-
 ri, quis est, qui sapientia vere studere queat,
 qui artium omnium ac disciplinarum domi-
 nam, mentis humana moderatricem non no-
 vit? quid enim alia artes, quid disciplina?
 mutile sunt ac imperfecta, imo facile con-
 cidunt, nisi splendorem suum ac firmitatem
 mutuentur ab illa, quae in omnes sapientiae
 partes manat, ac funditur, philosophia. Cir-
 ca intellectum, nobilissimam illam animi
 facultatem ita occupatur, ut illum tanquam
 magistra regat & instruat. Inestimabile illius
 temporis pretium, litterarum cultoribus sem-
 per in memoriam revocat, & tempus praeter-
 lapsum nec revocari summo studio aut labore
 nec recuperare ullo pretio posse monet, ut ad con-
 stantem et continuam diligentiam excitetur
 musarum cultor, qui enim doctrina cupidita-

te flagrat, nullum profecto temporis punctum
 otio inutili fallere potest, sed omni summa sedu-
 litate erit usus. Philosophicæ ope animus ab
 omni turbida et vehementi cupiditate liberatur,
 nec unquam alio animi vitio iactatur, hic enim
 edit petulantia pudori, fraudatio fidei, scelus
 pietati, furor constantia, turpitudine honestati,
 libido continentia. Reliqui omnes, qui philo-
 sophia præcepta respiciunt, nunquam tranquil-
 lo animo sunt, affectuum libidine & dominio ob-
 cecati, rationis lumine obliuato, nunquam ad
 perspicaciam atq; acumen ingenii prosunt per-
 tingere. Nihil quoq; in hominum vita maius,
 nihil humano ingenio ac nature accommodatius,
 quam summa et divinarum & humanarum
 rerum sapientia, singularis eximiq; virtutis
 splendore illustrata. Quid enim nobis potest præ-
 stantius ad dignitatem, ad laudem prædicabilius,
 illustriusque ad solidam veramque gloriam et con-
 tingere, quam ut illius augustissima natura,

quam

quam divinam vocamus, nonnullam similitudinem assequamur & hac una enim animam instruit, hoc una cum preparat, ad rerum celestium cognitionem, dignumque efficit, qui in Consortium Summi Numinis perveniat, his sapientia virtutisque beneficiis, quid maius, studiosiores, quid divinius? hac illa est, qua a voluptatum illecebris ad perfectissimam virtutem advocamus, qua ab impudentia ad modestiam pergitur, ab abiectione libidine ad utilissimum veritatis studium procedimus, ab ignavia ad industriam declinamus, a petulantia insaniam ad obedientiam, et morum elegantiam decurrimus, a vitæ scorporis pernicie ad utriusque salutem perducimus, qua tandem a caducis ad æterna, a mortalibus ad immortalia procedimus, nominisque & famæ decus ab omni temporum iniuria & interitu ipso sumus vindica-

tu-

Turi. Quibus ex rebus iam facile intelligitur,
Auditores, quanta sit Philosophia excellentia, quan-
tus splendor, quantus fructus.

Venio nunc ad secundam orationis meae par- P. II.
tem, in qua partes philosophiae communi
quodam inter se vinculo cohaerentes exponam.

Philosophus, qui omnium rerum divi-
narum & humanarum rerum causam, natu-
ramque noscere scidet, omnem bene vivendi ra-
tionem tenet ac persequitur, primos in se vi-
cipiis ^{fontes} invenit, quibus animum suum po-
test excolere, mentem ditare, & solertia acutissi-
ma satisfacere, omnes enim ingenii vires ad
animae suae cognitionem, facultates eius per-
scrutando, cognoscendi operandique vires inve-
stigando, inquirendoque conferre potest, & mul-
ta tamen adhuc inveniet, quae ingenii sui
angustia non capiunt, quomodo anima no-
stra corporis compagini quidem coniuncta,
sine corporis tamen organo intelligat quo-
modo res cognoscat, cognitae diiudicet, diu-

dicat-

dicatas eligat, si noxia reiciat, si bona
 tam pulchre investigat, atque tam accurate
 enucleat. Inquisitis facultatibus aciem
 mentis ad res sub aspectum cadentes inten-
 dit, considerat universum rerum naturalium
 complexum, sic scientia generales rerum
 affectiones continens, ex universo illo, quas-
 dam tantum meditationi subseruit res, &
 magna nunc ^{capitula} admiratioe perfectissimi pul-
 cherrimiq; mundi, quem tot orbis circumplic-
 untur, tot sidera illuminant, tot rerum
 genera complent, tanta varietas exornat,
 tantus ordo concinnat, quem denique die-
 tum nocturnq; vicissitudines, quadripartita
 mutationes temporum, perennis singularum
 rerum, aliarum ex aliis, ortus interitusq; per-
 cinnat. Perfectiones hasce considerans, cum
 oculos in caelum sustulerit, cum magna admi-
 ratione videt, quam late tenditur, quam ra-

pite voluitur, cum ordo temporum hoc fru-
 gum stabili varietate distinguitur, nonne au-
 torem suum, parentemq; sapientissimum
 testari videbit? Singula tantum, non modo
 ut crearentur, summi opificis & perfectæ ratio-
 nis equeunt, verum etiam sensivi & perspi-
 ci sine summa solertia et ratione non possunt;
 ut si quis in domum aliquam venerit, cum
 videat, omnium rerum rationem, modum,
 disciplinam, non possit ea sine causa fieri, iu-
 dicare, sed esse aliquem intelligat, qui præsit, &
 cui pareatur, multo magis in tantis motu-
 bus, tantisque vicissitudinibus, tam multa-
 rum ac tantarum rerum ordinibus statuat,
 necesse est, ab aliquo ente tantos natura mo-
 tus gubernari, Ente, quod nulla locorum im-
 mensitate terminatur, cui potentie nihil non
 subiectum est, cuius voluntas omnium le-
 gum lex est & norma equitatis, quod numquam
 prepotentissimum, Universi auctorem — De-
 um

um - nominamus, cuius attributa, quorūq;
 mentem imittere possumus in divinarum
 rerum scientia accuratius investigamus. En-
 tia universi illius in ordines & classes sunt
 accommodata, simplicia nempe & composita,
 quorum non summa tantum summa per-
 fecta est, sed qualibet illius partes innu-
 meras adhuc proponunt nobis perfectiones
 quas illa tractat scientia, quae rerum prin-
 cipia causasq; investigat, quae, quomodo
 quidque gignatur, quoq; modo pereat,
 differat, quae nimborum, fulminum, tem-
 pestatum causas, quae corporum celestium
 magnitudines, intervalla cursus, quae
 animantium omnium ortus, victus, figuras,
 quae omnium fere rerum, quae gignuntur
 e terra naturam exquirat, atq; persequi-
 tur, nunc sola sequimur eius precepta,

nunc naturam cogimus usu & experimen-
 tis, ut tempore quodam effectus eius nobis
 proponantur. Cognitis itaq; in mundo corpo-
 ribus & incorporea & simplicia cognoscamus
 necesse est, quorum in numerum ea amplifi-
 ma illius, ut ita loquar, philosophica regio-
 nis provincia, que de natura agit et indo-
 le quorundam^{an} spirituum, quo imprimis im-
 mortalis ille noster, mortali in corpore in-
 clusus, consilii & rationis particeps animus
 pertinet, cuius non vires tantum, faculta-
 tes, operandique leges nobis sunt indagan-
 da, sed & incumbat nobis necesse est, ut illo
 prudentia lumine rationis usu et exercita-
 tione cognoscendi eius vires perceptione
 veri amplificemus & actiones nostras virtute
 & bono observando emendemus, quo illa nos
 imbuat scientia, que suo certo habet, veram
 laudem ab una virtute nasci atq; proficisci

ci, cui illa adheret, ex qua, quod æquum
 ac iustum est, natura cognoscimus, & illa tan-
 dem que circa respublicas versatur; Anima
 si investigamus vires & facultates nititur
 pars empirica sola experientia, in no-
 bis ipsis enim exteriorum animi intelli-
 gentis facultatum, animadversione possu-
 mus persequari, altera pars vero, que
 fundamenta, que experientia collegit, innu-
 ce conatur, ratione est investiganda. Audi-
 vistis igitur, Auditores, quantum ea,
 quam nunc persequi res continuit, uti-
 litatis, tantum enim, quantum huius
 scitis, an ulla res præterea. Velim omnes
 nos ad eius studium scientiæ adiungamus,
 unde nascitur, atq; alitur, moderatio vitæ,
 unde omnis ordo, ac tota recte vivendi
 ratio manat, que mores compescit, conti-
 maciam domat, cupiditates coercet, ani-

mum fingit, vitam disponit, actiones re-
 git, agenda omittendaque demonstrat, molesta,
 lenit, obliqua dirigit, aspera arduaque com-
 planat, que lucet in tenebris,
 & mortis tandem
 propellit ti-
 mores.

499

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

Lo
aga
W
C
d. x.